

Prophete et reges mortui sunt; hic communis nascentium est finis. Sed beati mortui, qui in domino moriuntur, ut requiescant a laboribus suis, Ap. [14, 13]. Unde Ambrosius libro prefato ait²⁰): *Mortis tria sunt genera. Una mors peccatum est, de qua scriptum est: anima, que peccavit, ipsa morietur. Alia mors mistica, quando quis peccato moritur et in deo vivit; de qua ait idem apostolus [Rom. 6, 4]: Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte. Tercia mors, qua cursum vite huius et munus explemus, id est anime corporisque secessio. Advertimus igitur, quod una mors sit mala, si propter peccata moriamur; alia mors bona sit, quia is, qui fuerit mortuus, iustificatus est a peccato. Tercia mors media sit, nam et bona iustis videtur, et pleris metuenda. Que cum absolvat omnes, paucos delectat. Hec ille. Sed ·N· dicere potuit cum apostolo: Cupio dissolvi et esse cum Christo [Ph. 1, 23]. Quapropter subdit ibidem Ambrosius²¹): Omnifaria igitur mors est bonum, et quia compugnancia dividit, ne se invicem impugnent, et quia portus quidam est eorum, qui magno^d vite istius iactati salo fide quietis stationem requirunt, et quia deteriore statum non efficit; sed qualem invenerit in singulis, talem iudicio futuro^e reservat et quiete ipsa fovet et presencium invidie subducit et futurorum expectatione componit. Et post pauca: Ideoque mors hec transitus universorum est. Opus est, ut constanter transeas. Est^f autem transitus a corruptione ad incorruptionem, a mortalitate ad immortalitatem, a perturbationibus ad tranquillitatem. Non igitur te nomen mortis offendat, sed boni transitus beneficia delectent. Quid enim est mors, nisi sepultura viciorum, virtutum suscitatio? Unde et ille ait: Moriatur anima mea in animis iustorum id est consepeliatur ut sua vicia deponat^g, iustorum assumat gratiam. Hec ille. Pro III^o ait: Nolite timere; cras egrediemini et dominus erit vobiscum [2 Par. 20, 17] vel illud erit vobis salus et erit in pace memoria eius. Domino autem nostro cesari dicamus: Erit tibi dominus in lucem sempiternam et dominus deus tuus in gloriam tuam, Is. (fol. 65) 60, 19. Pro 4 Idc. VI, 12: Dominus tecum, virorum fortissime, sibi dicamus, et ipse nobis viceversa: Dominus vobiscum, Ru. 2, 4. Dominus custodiat te ab omni malo. Custodiat animam tuam dominus, in Ps. [120, 7].*

d) magne Ms.

e) futurum Ms.

f) et Ms.

g) depona Ms.

²⁰) Migne PL 14, 567.

²¹) Migne PL 14, 574.